

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die ~~Beant-~~<sup>Bearbeitu-</sup>wortung der unter II. gestellten Fragen sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung:

Mithridates ad contionem milites vocat eosque variis  
exhortationibus ad Romana bella incitat. Quam orationem  
dignam duxi, cuius exemplum brevitati huius operis insererem;  
quam obliquam Pompeius Trogus exposuit, quoniam in Livio  
5 et in Sallustio reprehendit, quod contiones directa oratione  
operi suo inserendo historiae modum excesserint.  
Optandum sibi fuisse ait, ut de eo liceret consulere,  
bellumne sit cum Romanis an pax habenda; quin vero sit  
resistendum impugnantibus, ne eos quidem dubitare, qui spe  
10 victoriae careant; quippe adversus latronem, si nequeant pro  
salute, pro ultione tamen sua omnes ferrum stringere. Cete-  
rum quia non id agitur, an liceat quiescere non tantum  
animo hostiliter sed etiam proelio congressis, consulendum,  
qua ratione ac spe coepta bella sustineant. Esse autem sibi  
15 victoriae fiduciam, si sit illis animus; Romanosque vinci  
posse cognitum non sibi magis quam ipsis militibus, qui et  
in Bithynia Aquilium et Malthinum in Cappadocia fuderint.  
Ac si quem aliena magis exempla quam sua experimenta moveant,  
audire se a Pyrrho, rege Epiri, non amplius quinque milibus  
20 Macedonum instructo fusos tribus proeliis Romanos. Audire  
Hannibalem sedecim annis Italiae victorem inmoratum, et  
quin ipsam caperet urbem, non Romanorum illi vires resti-  
tisse, sed domesticae aemulationis atque invidiae studium.  
Audire populos transalpinae Galliae Italiam ingressos maxi-  
25 mis eam pluribusque urbibus possidere, et latius aliquanto  
solum finium quam in Asia, quae dicatur inbellis, idem  
Galli occupavissent. Nec victam solum dici sibi Romam a Gal-  
lis, sed etiam captam, ita ut unius illis montis tantum  
cacumen relinqueretur; nec bello hostem, sed pretio remotum.  
30 Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruit, in partem  
virium suarum numeret. Nam hos, qui Asiam incolunt, Gallos ab

Fortsetzung nächste Seite!

illis, qui Italiam occupaverant, sedibus tantum distare, originem quidem  
ac virtutem genusque pugnae idem habere; tantoque his acriora esse quam  
illis ingenia, quod longiore ac difficiliore spatio per Illyricum Thraciamque  
35 prodierint, paene operosius transitis eorum finibus quam ubi consedere possessis.

## II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Bezeichnen Sie (mindestens zwei) auffällige Erscheinungen in dieser oratio obliqua!
2. Wie kann numeret (Z. 31) hinsichtlich Syntax und Modus erklärt werden?
3. Umreißen Sie das Bedeutungsfeld von exemplum (Z. 3)!